Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35140
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

video et inde extollor. adest illa, adest viuo semper mortuum ubi
quia in gloria ut confusio inseparabilis per qualitate depositi. Sic sic in domo
ipsa et ab ipsa familia habeo accusatores iudices et tortores. Accu-
sat me consciencia, testis est memoria, racio iudex, voluntas car-
cer, timor tortor, oblectamentum tormentum. Quot enim fuerunt
oblectamenta mala, tot erunt tormenta. Nam inde punimur unde
male delectamur. *Quomodo caro mundus et dyabolus nobis*
Adiuua me domine deus meus *pariter nos impugnant lxiii*
quia inimici mei etiam meam circumdederunt. Corpus scilicet
mundus et dyabolus. A corpore fugere non valeo nec a me
ipsum fugare. Circumferre ipsum necesse est quia alligatum est michi. Perimere
non licet, sustentare cogor. Et cum illud impinguo hostem meum
contra me nutrio. Si enim satis comedo et corpus robustum fuit
sanitas et fortitudo eius michi aduersatur. Mundus vero circumcingit
et undique me obsedit et per quinque portas scilicet corporis sensus
visus, auditus, gustus, odoratus et tactus sagittis suis me
vulnerat, et mors intrat per fenestras meas in animam meam. Respi-
cit oculus et mentis sensum nutrit. Audit auris et intencionem
cordis inflectit. Odoratus cogitacionem impedit. Os loquitur
et fallit. Per totum vero amor libidinis per aliquam parua occasi-
one excitatur et si non illico respuo et excipio [illegible] subito to-
tum corpus occupat, estuat, urit et incendit. Primo carnem mo-
dicum titillat, deinde mentem turpi delectacione maculat et
ad extremum per consensum prauitatis mentem subiugat. Porro
dyabolus quem videre non possum et ideo minus cauere, teten-
dit arcum suum et in eo parauit sagittas suas ut sagittet me.
Narrauit ut absconderet laqueos et dixit: Quis videbit eos.
Laqueum posuit in auro et argento et in omnibus quibus abutimur
cum in illis male delectamur. Nec solum laqueum posuit sed viscum. Vis-
cus est amor possessionis, amor carnis, affectus cogitacionis